Christiani Risii A° 97. d. 25. Junii

Theol
6242

dum B[illegible]
ad 1686. 3. 7bris.

vide Dreieri diss. 9" Pontificios de hac mat[eri]a ao 1649. editam p. 831.

Vid. Dreieri Disp. xx. p. 621. de hac materia q. Pontific.

# DISPUTATIO THEOLOGICA
## DE
# CONJUGIO SACERDOTUM,

*Quam*

Deo annuente

*Consensu*

Venerand. Facult. Theolog.

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DREIERI

Pomer. S. Th. Doct. & Prof. P.

*disquisitioni publicæ*

*subjicit*

THOMAS DÖRFFELIUS

Olsnitiô Variscus,

*ad diem 20. Julij*

In Auditorio Majori

horis Matutinis.

---

REGIOMONTI

TYPIS JOHANNIS REUSNERI

ANNO M DC XLV.

VIRIS
*Amplissimis, Consultissimis & Prudentissimis*

# DN. CONSULI, PROCONSULI CAMERARIO, CÆTERISQUE SENATORIBUS Inclytæ Reipubl. Cneiphovianæ, virtute, pietate, eruditione, rerumq; experientiâ Clarissimis

| | |
|---|---|
| DN. CHRISTOPHORO POLKAIN | DN. BARTHOLOMÆO Böttner |
| DN. DIETERICO Schwartz | DN. JOHANNI Stein |
| DN. MICHAELI Dehn | DN. VVENCESLAO Wessel |
| DN. CYRIACO Perband | DN. JOHANNI Friese |
| DN. PETRO Michael | DN. JACOBO OTTO Etzel |
| DN. SIMONI Ribbe | DN. JOHANNI Friedewalt |
| DN. ANDREÆ Holländer | DN. JOHANNI Meienreis, Secretar. |

*NEC NON*

VIRIS
*Spectatissimis Præstantissimis atq;*
*Integerrimis*

Dn. CHRISTIANO Moraun
Dn. CHRISTOPHORO Ranisch
Dn. BALTHASARI Fischer.
*Negotiatoribus & Civibus Regiomontanis ut honoratissimis ita primariis.*

*DNN. Patronis Promotoribus atq; Evergetis suis ætatem colendis, προγύμνασμα hoc Theologicum in sui studiorumq; suorum commendationẽ humillimâ mente offert & inscribit*

Thomas Dörffelius Variscus.

## Thesis I.

Cum initiò nascentis Ecclesiæ Apostoli ob persecutiones & meliorem Evangelij propagationem suaderent, ut, cui ita conveniens visum esset, potius cœlibem traduceret vitam, quàm connubij vinculo se obstrictum hujus seculi difficultatibus implicaret; inde Ecclesia ferè semper suas habuit virgines & personas cœlibes, quæ abstinere à conjugio sibi proposuerunt, tum ut persecutiones evitarent, tum ut cultui divino sine omni impedimento vacare possent. Ex singulari cœlibatus admiratione & æstimio, tractu temporis Monachi enati sunt, quos ut homines sanctissimos passim in pretio habebant, & quantum fieri poterat, inter cœteros & Clerici seu antistites Ecclesiæ imitari instituebant. Qua de causa, accrescente tandem superstitione, creditum, cœlibatum maximè decere personas Ecclesiasticas; & mox, quod conveniēs putabatur, in leges & præcepta transiit.

II. Origeni sanè jam seculo. III. visum fuit, quod illius solius esset offerre sacrificium indesinens, *ut loquitur*, qui perpetuæ se devoverit castitati, *homil. 23. in Numer. id est, perpetuò abstinuerit ab uxore: nec tamen hoc necessarium dixit, sed tantum conveniens; qua ratione & alij doctores Ecclesiæ per seculum IV. locuti sunt, alij verò ad prohibitionem manifestè declinarunt, hac tamen cum limitatione, ut Clericus, si professus fuisset ante ordinationem, se nolle in cœlibatu vivere, postea uxorem ducere posset; vel etiam, si ante duxisset, eam retineret; quod si verò cœlibatum se eligere ante ordinationem annuisset, vel etiam tacuisset, nequaquam ei matrimonium inire integrum esset. Sic enim sub initium seculi IV. Concilium Ancyranum in Provincia Galatiæ ante Concilium Nicenum celebratum Can. 9. dist. 28. cap. 8. statuit:* Diaconi quicunq; ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt & dixe-

runt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, nisi postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit; Quicunq; sanè tacuerunt & susceperunt manuum impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.

*III. Huc quoq; respicere existimo Concilium Neocæsariense, quod paulo post, itidem ante Nicenum habitum est Can. 1. dist. 28. c. 9.* Presbyter si uxorem duxerit ab ordine deponatur, si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad poenitentiam redigi. *Nec alio sensu Paphnutius civitatis cujusdã in superiori Thebaide Episcopus in Concilio Niceno dixit,* veterem Ecclesiæ traditionem esse, ut qui cælibes gradum sacerdotalem consequuti fuissent, postea minime uxores ducerent, *apud Sozomenum l. 1. c. 22. Post magis magisq; superstitio incrementa sumpsit, & ipsi sæpe Catholici Episcopi minus commodè loquuti sunt, ex singulari vitæ cœlibis admiratione; præsertim cum Jovinianus & Vigilantius nimis abjectè de Virginitate sentirent, cælibatum interdum extulerunt, cum depreßione & contumelia matrimonij, veluti Ambrosius & Hieronymus in quibusdam locis. Ideo jam complures sentiebant decere & conveniens esse ut simpliciter ab uxore abstinerent, qui ordini sacro se mancipaverant.*

*IV. Primum in Occidentali Ecclesiâ conjugium Sacerdotum prohibuisse Syricium Episcopum Romanum sub finem seculi IV. Gratianus cum Glossatore suo existimat. Sed enim præceptum eum dedisse non reperimus, suasisse autem plurimum abstinentiã ab uxore, apparet ex Epist. 4. capit. 9.* Præterea, *inquit*, quod dignum & pudicum & honestum est, suademus, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia in ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur.

pantur. *Ubi & insignem conjugatis contumeliam facit, coinquinatis & immūdis eos accensens, & illud Pauli thoro applicans: Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Innocentius I. autem sub initium seculi. V. expendens perpetuas esse Sacerdotum sacras occupationes, praecepit ac statuit, ut Presbyteri ac Levitae cum uxoribus suis non coient Epist. 2. ad Victricium Rothomag. cap. 9. dist. 31. cap. Tenere. & Syricij adhortationes praecepta fuisse inculcat, distinct. 82. cap. Proposuisti.*

*V. Neq; intra Italiae terminos lex haec continere se potuit, sed mox in Africam, Galliam & Hispaniam transiit, ubi super hac quaestione concilia coacta sunt; & Clericis conjugio interdictum. Quod mireris tamen, sub finem seculi VI. demum in Siciliam pervenit, teste Gregorio M. Episcopo Romano dist. 31. in principio ex l. 1. epist. 42. ad Petrum subdiaconum Siciliae:* Ante triennium, *inquit*, omnium Ecclesiarum subdiaconi Siciliae prohibiti fuerunt, ut more Romanae Ecclesiae suis uxorib9 nullatenus misceantur. *Addit, usum talis continentiae ante in Sicilia non fuisse: Ideo subdiaconis permittit uxores retinere, sed imposterum neminem vult ordinari, nisi continentiam promiserit.*

*VI. In Orientali interim Ecclesia tametsi consuetudine recepta Clerici multi à conjugio abstinerent, nulla tamen lege coacti id fecerunt, et tantum in Thessalia rigidiores hac in parte fuisse deprehenduntur, de quo Socrates l. 5. c. 21.* Ipse, *inquit*, in Thessalia aliam consuetudinem invaluisse novi, ut ibi qui Clericus sit, si cum uxore, quam cum esset Laicus ducebat, postquam Clericus factus sit, dormierit, Cleritatu abdicatus sit, id adeò cum omnes illustres Presbyteri in Oriente & Episcopi etiam, modò ipsi voluerint, nulla lege coacti, ab uxoribus abstineant. *Et seculo VI. Justinianus Imperator procul dubio occidentalium & forsan ipsius Pontificis instinctu ursit, ut Clerici sine omni exce-*

 ptione,

*ptione, non ordinarentur, nisi continentiam professi essent. In Authent. de sanctis. collat. 9. cum ante tantum consuetudine tenerent Græci, ut qui jam suscepisset sacrum ordinem, posthac cælebs maneret. Sed sequenti seculo ea constitutio per Trullanam Synodum abrogata est.*

*VII. Et sanè diversam Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem hîc diffiteri non potest ex seculo VIII. Stephanus II. dist. 31. cap. Aliter.* Aliter, *inquit,* se occidentalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, diaconi atq; subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiæ vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono usq; ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi. *Etsi verò rigidè satis à Pontifice in Occidente lex cælibatus urgebatur, nondum tamen ubiq; locorum recepta erat, præsertim in Anglia, ubi hoc tempore Beda contra conjugium Sacerdotum declamabat; & Germania, ubi Bonifacii Venofridi Episcopi Moguntini operâ Papa primum inducere statutum suum conabatur. Passim enim Episcopos sibi devinctos ad hoc munus aptissimos esse, Pontifices existimabant.*

*VIII. Res eò devenit, ut legitimas Sacerdotum uxores, concubinas, & conjugium eorum fornicationem ac Nicolaitarum hæresin dicerent. Hos enim flosculos Petrus Damianus Episcopus Hostiensis, Cardinalis & legatus Apostolicus in Gallijs prodidit in scripto, quod instinctu Nicolai II. Pontificis contra conjugium Sacerdotum in lucem emisit: Sed quos invenerit adversarios, narrat ipse in quadam sua epistola apud Baronium Tom. 2. anno 1059. num. 40. & anno 1065. initio.*

*IX. Omnium verò severissimè hanc rem ursit Hildebrandus dictus Gregorius VII. seculo XI. missis passim epistolis ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, & coacta Romæ Synodo CX. Episcoporum, in qua hoc decretum fecit, referente Nauclero & Lamberto*

*Schnaf-*

*Schnafnaburgensi in Anno 1074. in Tomis Conciliorum in Synodo Romana 1. sub Gregorio, & apud Baronium Anno 1074. n. 29.* Ut secundum instituta antiquorum Canonum Presbyteri uxores non habeãt, habentes aut dimittant aut deponantur; nec quisquam omninò ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamq; cælibem profiteatur. Adversus hoc decretum, *pergit Schnafnaburgensis*, protinus infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum & vesani dogmatis esse, clamitans, qui oblitus sermonis Domini Matth. 19. (non omnes capiunt verbum hoc) violentâ exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum naturæ cursum negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret, quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quam conjugium deserere & tum visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset.

*X. Idem negotium omnibus modis promovere conatus est Urbanus II. tertius ab Hildebrando, ita ut potestatem secularem in subsidium vocaret, ut est dist. 32.* Eos, *inquit*, qui post sub Diaconatum uxoribus vacare noluerint, ab omni sacro ordine removemus, officioq; & beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quod si ab Episcopo commoniti nõ se correxerint, principibus indulgemus licentiam, ut eorum fæminas mancipent servituti. *Eum sequutus Paschalis II. idem decretum repetiit, & Henricum V. ut in Parentem sic & in Sacerdotes excitavit. Unde in Comitiis Northusanis conjugia sacerdotum sub hæresi Nicolaitarum damnata, eademq; illis vi publica adempta sunt, ut scribit Polydorus Virgilius l. 5. de Invent. rerum. Haud segniores fuerunt in tutandis prædecessorum decretis Calixtus. II. Honorius, Innocentius, Lucius; atq;*

atq; sic tandem post multa concilia & decreta, & varios Pontificum conatus, Gallia, Germania, Anglia subjugū redactæ sunt.

XI. Cœterùm malo jam ad summum perducto, excitavit Deus, qui resisterent, ut Waldenses in Galliis exortos, Johannem Wiclefum & alios. Quin ipse Sigismundus Imperator, imminente Concilio Basileensi juxta ritus Orientalis Ecclesiæ Clericis conjugium restituere voluit, ut testatur formula reformationis Cleri Argentorati edita Anno CIↃ IↃ XX. Idem optat Æneas Sylvius postea Pius. II. Pontifex in actis Concilij Basileensis lib. 2. cujus, teste Sabellico & Platina, sententia fuit, sacerdotibus magna ratione ademptum esse conjugium, sed majore restituendum. Annumerare his possumus Joh. Panormitanum, Rodolphum Agricolam, Johannem de Vesalia, Erasmum Roterodamum.

XII. Sed virorum cordatorum monitis susq; deq; habitis, nihilominus Concilium Tridentinum sess. 8. can. 9. anathema ferire non dubitavit asserentes, Clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares, castitatem solenniter professos posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis donum habere. Ubi tamen caute loquitur, suspendens ferè judicium de iis qui uxores duxissent, antequam in Clericos legeretur, aut qui protestati fuissent, se nolle in cœlibatu vivere, nec unquam professi fuissent abstinentiam à conjugio. His enim Ecclesia simpliciter liberum reliquit in primis seculis uxorem ducere, cum tamen hoc tempore minimè admittant ad Sacerdotium adversarij, nisi continentiam perpetuam à legitima uxore professos, atq; adeò ad istam professionem omnes Clericos cogant: Si quis enim hanc conditionem nolit accipere non initiabitur, ait Bellarm. l. 1. de Clericis cap. 20.

XIII. Diversæ equidem quæstiones sunt, an Clericus abstinentiam

*nentiam professus uxorem ducere posit? & an citra professionẽ talem ipsi liceat matrimonium contrahere; priorem quæstionem etiamsi quis cum quibusdam in primitiva Ecclesia negaret, non ilico & posteriorem negaret. Cæterum quousq; tale votum vel professionem talem vitæ cælibis facere liceat, alibi disputatur, in præsenti tantum solliciti sumus de sacerdotali officio in se specta-to, an ei de jure annexus sit perpetuus cælibatus.* E rectissimè quidem factum esse, ut cælibatus perpetuus sacris ordinibus annecteretur, *probare conatur Bellar. l. 1. de Clericis c. 19. non tamen jure divino, sed tantum* Apostolico, *ut loquitur, sive, ut habet Concilium Tridentinum,* lege Ecclesiastica.

*XIV. Johannes Major quidem & Jodocus Clichtoveus jure divino imperari sacerdotibus cælibatum statuerunt, sed eo nomine eos refutat Bellarminus peculiari capite 18. nec ullus hoc tempore amplius ad jus divinum connexionem cælibatus & sacrorũ ordinum reducit: Omnes enim fatentur pertinere eam ad simplex jus Ecclesiasticum, quod tamen ab Apostolis originem ducat, unde Bellarm. vocat Apostolicum: Tametsi in jure Canonico c. Sors causa 26. q. 2.* copula Sacerdotalis nec Evangelica nec Apostolica autoritate, sed Ecclesiastica lege interdicta dicatur. *Et sanè inter jus Apostolicum & divinum parum erit discriminis, si rigidè loqui velimus.*

*XV. Præterea id quoq; attendendum, quod dicit Concilium Tridentinum, matrimonium à Clericis in ordine constitutis contractum non esse validum; quod si ita est, nonne sodes jus divinũ solvitur per constitutionem Ecclesiæ contra expressa verba Scripturæ:* Quod Deus conjunxit, homo non separet *Matth. 19. v. 6.* Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego sed Dominus uxorem à viro non discedere *1. Cor. 7. v. 10. At inquies: Non fuit legitimum matrimonium, ideo per solutionem jus divinum non violatur. Contrà, est illegitimum sola constitutione Ecclesiæ, ut dicunt, non divina, quæ in quavis*

*persona habili, non obstante lege alia divina, matrimonium, si contractum fuerit, legitimum pronunciat. Dicit Bellarminus l. 1. de Matrimonio c. 21. Ecclesiam habere potestatem suis legibus reddendi personas habiles & inhabiles. Sed hoc in quæstione est, imo hoc est quod apertè pugnat cum verbis citatis: Humanæ enim constitutiones sic tollunt vel irritas reddunt divinas. At inquis, Deum eam potestatem Ecclesiæ dedisse; quod quid aliud est, quàm Deum Ecclesiam omnibus mandatis atq; legibus solvisse? Si enim ei dedit potestatem contrariis statutis tollendi leges divinas, jam in omnibus potest ea potestate uti, & sic nullis divinis legibus constringetur. Mirum a. quod Ecclesia majorem potestatem sibi arrogare audeat, quam Apostoli, qui injicere laqueum conscientiis per legem cælibatus non fuerunt ausi. 1. Cor 7. v. 35.*

*XVI. Sed nullam dari in universum ejusmodi connexionem Sacerdotij & cœlibatus jure Apostolico aut ullo legitimo Ecclesiastico fundatā, facilè probare possum⁹. Dico legitimo jure Ecclesiastico: Nam Ecclesia particularis errare potest in condendis legibus, & quicquid legum hîc promulgatum est, id omne est Ecclesiarum particularium vel paucorum hominum. Proinde etiamsi multas leges & constitutiones Ecclesiasticas hîc nobis objecerint adversarij, de iis tamen adhuc quæritur, an rectè sint latæ. Nulla sanè est lex Ecclesiastica, quæ non possit contraria lege Ecclesiastica tolli; multò magis autem tolli potest, imò omninò aboleri debet, si divinis constitutionibus & Apostolicis sanctionibus adversetur.*

*XVII. Apostolus 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. vult,* unius uxoris maritum eligi in Episcopum, *ideo non potest repudiari ab officio Episcopatus, qui unam habet uxorem, nisi quis contra statutum Apostolicum imò divinum facere velit. Hoc enim præcipit Apostolus loco Dei. Notandum quod his locis varias regulas præscribat Episcopis, quæ tùm doctrinam, tùm vitam eorum respiciant, & in his ponit etiam regulas matrimoniales, quod non debeat simùl plures habere uxores, sed unam tantùm, quod debeat domui benè præesse & filios rectè educare. Quemadmodum*

*igitur*

*igitur cæteræ regulæ sumuntur in sensu composito de tempore præsenti, quo Episcopus est, non de præterito, sic & illa, quod debeat esse unius uxoris maritus, sicut & phrasis perspicuè indicat: Non enim dicit: oportet Episcopum* γεγονέναι *sed* εἶναι. *Quin, quod ipsas uxores, quales esse debeant, describat v. 11. 1. Tim. 3. Ideò de Episcopo loquitur, qui cum uxore cohabitat.*

*XVIII. Bellarminus ferè non habet quod respondeat: dicit Paulum non tulisse legem, ut Episcopi habeant uxores, sed solum ut non habeant vel habuerint plures quàm unam. At nec id in quæstionem venit, an Clerici uxores necessariò habere debeant: Veneramur enim ipsi in cœlibatu sanctè viventes, quos Ecclesiam semper magnifecisse & optasse non ignoramus: Sed simpliciter, anne in potestate sua habeant vel ante vel post ordinationẽ uxorẽ ducere. Et id quidẽ ex hoc loco elici, vel invitus nobis concedere cogitur Bellarminus. Dicit enim: ne habeant vel habuerint plures, quã unã. Ergo permittit eis Apostolus habere uxores. Hieronymus in Comment. supra h. l.* Quidam, *ait*, de hoc loco ita sentiunt: Judaicæ inquiunt consuetudinis fuit, vel binas uxores habere vel plures: quod etiam in Veteri Lege de Abraham & Jacob legimus: & hoc nunc volunt esse præceptum, ne is, qui Episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores. *Chrysost. quoq; homil. 10. in 1. Tim. 3.* Non hoc, *inquit*, velut sanciens dicit, quasi non liceat absq; uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Judæis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio jungi, & duas itidem habere simul uxores. *Et homil. 2. in Epist. ad Titum.* Obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant: ostendens eam rem culpa carere, imò ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium subvehi.

*XIX. Deinde Apostolus* conjugium honorabile *dicit* in

 omni-

**omnibus personis.** *Hebr. 13. v. 4. ideo & in Clericis sive ante sive post ordinationem considerentur. Bellarminus excipit, illud* ἐν πᾶσι *tripliciter accipi posse, primò, ut idem, sit quod in omnibus partibus, sive sacramentum, sive fidem, sive prolem consideres; Secundò, ut in omnibus significet, apud omnes, hoc sensu: Nemo debet conjugium reprehendere etiamsi virginitatem ipse profiteatur: Tertiò, in omnibus, idest, omnibus personis legitimè conjunctis, quæcunque illæ sint. Sed priores duas expositiones, quis non videt contortas esse, & ad textum non quadrare: Nemo enim ex parte laudavit, ex parte vituperavit conjugium, sed quidam hæretici statim in principio in totum illud damnarunt. Nec potest ita loqui Apostolus, quia facilè de omnibus accidentibus conjugii acciperetur; v. g. de contentionibus conjugum, respectu quarum honorabile dici non potest. Sic per se evidens est, quod res in se venerabiles seu honorabiles à nemine cujuscunque status, sint vituperandæ; nec dicitur* τίμιος ὁ γάμος πᾶσι, *sed* ἐν πᾶσι.

*XX. Nostra igitur interpretatio obtinet, quod conjugium in omnibus personis sit honorabile, eamque expositionem magis literalem, ipse fatetur Bellarminus. Et sanè opponit Apostolus fornicatores & conjugatos, & hos honorabiles, illos damnabiles dicit. Unde colligere promptum est: In illis conjugium est honorabile, in quibus fornicatio est damnabilis: Sed etiam in Sacerdotibus fornicatio est damnabilis. Ideo negari nequit, quod in ipsis sacerdotibus hîc Apostolus conjugium approbet. Nec aliter textum primitiva Ecclesia accepit. Paphnutius in Concilio Niceno obsistens patribus cælibatum Sacerdotum inducere volentibus, hoc dictum ursit, teste Socrate. l. 1. Hist. Eccles. c. 8. & Sozomeno l. 1. c. 22. Hieronymus epist. 53. ad Oceanum, in causa Carterij Episcopi Hispani, qui unam antequam baptizaretur, alteram post baptismum, priore defunctâ, duxerat uxorem:* Ille, *inquit*, si prior uxor viveret, aliam conjugem non haberet, in uxore optaret liberos, tu in meretrice sobolem perdidisti———

illi

illi scriptum est, honorabiles nuptiæ & cubile immaculatum; tibi legitur: Fornicatores & adulteros judicabit Deus. *Synodus Quinisexta Trullana can. 13.* Sed neq; *ait*, ordinationis tempore ab eo (*Clerico*) postuletur, ut profiteatur, se à legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo à Deo constitutas & sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, evangelica voce exclamante: Quæ Deus conjuxit homo non separet; & Apostolo docente: honorabile matrimonium in omnibus.

*XXI. Præterea Apostolus simpliciter præcipit, ut* propter fornicationem unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquæq; suum maritum *1.Cor.7.v.2. Optavit quidem, omnes homines esse, sicut ipse erat, ut ob imminentia pericula à conjugio abstinerent; sed non idem donum, ait omnes habere. Unde v.9.* Quod si, *inquit*, se non contineant, nubant, melius est nubere quam uri. *i. e. ardere illicitis concupiscentiarum flammis. Ambrosius in Comment.* Uri, *inquit*, est desideriis agi vel vinci. Cum enim voluntas calori carnis consentit, uritur. Nam desideria pati & non vinci, illustris viri est & perfecti. *Chrysostomus homil. 19. in h. l.* Si vim vehementē sustineas & æstum libidinis, liberare à laboribus & sudoribus, ne fortè evertaris. *Theodoretus in Comment.* Ustionem, *inquit*, non vocat cupiditatis molestiam, sed animi mancipationem & ad id, quod est deterius, inclinationem.

*XXII. Hoc donum nō unicuiq; conceditur, sed ei tantum, cui illud Deus dare voluerit: Unde appellatur* ἴδιον χάρισμα *v.7. quo nomine dona Spiritus S. quæ ille, sicut vult, distribuit, notantur. 1.Cor. 12.v.4.9. Origenes quidem, Ambrosius, Hieronymus, Nazianzenus, Chrysostomus, Theodoretus, & patres alij eò inclināt, quod quis laboribus & precibus illud obtinere possit; verùm simpli-*

*pliciter id nolunt intellectum, quod quis, modo velit, sine exceptione illud impetrare possit; sed id tantùm innuunt, unumquemque conari & anniti debere precibus & laboribus, ut habere possit, adeo expeditius Deo inserviendum, secus manifestè scripturis adversarentur: Neq; enim Paulus, cum maximè opportunum esset, & materia subjecta postularet, preces & labores ut remediū contra libidinem præscripsit, sed conjugium, sicut & Christus, cùm dixissent discipuli, non esse ducendam uxorem, si non sit dimittenda, juxta consuetudinem Judæorum, respondet simpliciter; non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est; hominum quidem operam includit, dum dicit, quosdam seipsos castrare propter regnum cœlorum, sed non sufficere indicat, statim addens: Qui potest capere capiat.*

*XXIII. Et huc procul dubio respexit Paphnutius in Concilio Niceno, cum legi cœlibatus se opponeret, & ante eum Dionysius Corinthiorum Episcopus, cum Pinytum Gnosiorum Episcopum hortaretur,* ne grave servandæ castitatis onus fratribus imponeret, sed multorum sese imbecillitati attemperaret, *ut refert Eusebius l.4.c.22. Chrysostomus quoq; homil.19.in.1. Cor.7.* Meliorem, *inquit*, ac præstantiorem ostendit esse continentiam & non cogit eum qui non assequitur, timens ne sit aliqua prolapsio. *Ideo hic existimavit, multos esse qui non assequerentur id donum.*

*XXIV. Jam nec dubium, quin Apostolus in loco citato etiā de Sacerdotibus loquatur: Generalissimè enim formavit sermonem:* Unusquisq; suam uxorem habeat, unusquisque proprium donum habet. *Et sanè in Corinthiaca Ecclesia etiam doctores erant, ideò illos excipere debuisset, si quidem exceptos eos voluisset: At generatim loquitur, & seipsum includit: volo omnes homines esse, sicut meipsum: non tam Laicos quam Clericos Apostolo conformari par erat, ideo de his potissimum loquitur. Quare ut dicit Chrysostomus loc. cit. quidam olim textū*

*Aposto-*

*Apostolicum de solis sacerdotibus exposuerunt, quibus ille respondens:* Si Sacerdotibus *inquit* solùm hæc scriberet, dixisset, bonum est doctori seu Magistro mulierem non tãgere. Nunc autem universè & in genere hoc posuit, dicens, bonum est homini, non solum sacerdoti. Et rursus: solutus es ab uxore, ne quæras uxorem. Non dixit: Tu sacerdos & doctor, sed indistinctè, & tota perpetuò sic procedit oratio. *En Chrysostomum disertè de Sacerdotibus hæc verba explicantem.*

*XXV. Tandem notabile est, quod Apostolus. 1. Tim 4. v. 3. prohibitionem matrimonij vocet* doctrinam dæmoniorum, *cujus quidem participes se reddunt, qui matrimonio Clericos interdicunt. Excipit Bellarminus se non prohibere matrimonium, nec cogere ullum ad cælibatum absolutè suscipiendum. At sic fatetur ipse, quod ex parte cogant, vel sub conditione, si quis velit sacerdotium suscipere. Quis verò neget prohibitionem sub conditione factam & ipsam prohibitionem esse. Distinctæ sunt vocationes ad sacerdotium & ad vitam cælibem. Potest enim aliquis vocari divinitus per sufficientia dona ad officiũ Ecclesiasticum, ut tamen non vocetur ad cælibem vitam, quia Deus denegat donum continentiæ. Hic homo ad nihil aliud aptus quam ad sacerdotium, abstinere à vocatione cogitur lege Ecclesiastica, quia minus aptus est ad abstinentiam à conjugio, quam hic vel iste particularis cætus suis statutis in sacerdote requirit.*

*XXVI. Aliud refugium capit adversarius asserens, Apostolum loqui de iis, qui* absolutè *nuptias damnârunt, quales olim fuerunt Tacianus, Marcion, & Manichæus. At sic iterum concedit, quod ipsimet ex parte damnent conjugium, licet non absolutè, ut veteres hæretici. Deinde non diffitemur, quod Patres accommodent textum Marcionistis, Encratitis, Manichæis, sed de illis solis eum accipiendum esse, non dicunt, verum multò latius extendunt, veluti Chrysostomus homil. 12. in h. l.* Noli igitur mirari, *inquit*, si modo, quando initium accepit fides,

fides, ista quidam clam inferre conantur perdita dogmata: quandoquidem longo post tempore, quum firmissimis illa radicibus innixa fuerit, pleriq; à fide recessuri sunt. *Et textus evidentia ostendit, dum tempus perspicuè determinatur,* ἐν ὑστέροις καιροῖς *in posterioribus temporibus, qua phrasi quidem quævis sequentia tempora notantur, maximè tamen ultima mundi ætas, sicut & vulgata habet:* in novissimis temporibus*: & Syra:* in temporibus postremis. *Anshelmus:* in novissimis temporibus i. e. regnante Antichristo, vel antea. *Lyranus:* Potissimè circa tempora Antichristi.

*XXVII. Notabile est, quod Apostolus capite præcedente de uxoribus Episcoporum disseruerit, atq; iis regulas juxta quas in conjugio vivendum esset, præscripserit, ideò speciatim in Sacerdotum conjugia digitum intendit quæ ultimis temporibus, quidã prohibituri sint. Et sanè vox* κωλύειν *significat non damnare, quod etiam hæreticorum est, sed lege vetare, quod est Ecclesiarum, Episcoporum, & præsertim Pontificis Romani, idq; specie majoris sanctitatis ex hypocrisi, ut dicitur in textu, cum interim tales nomothetæ cauterio notatam habeant conscientiam, in conscientia convicti & persuasi sint de incommodis ex hac prohibitione ortis, de quibus viri cordati sub Papatu jam dudũ satis conquesti sunt.*

*XXVIII. Pergimus ad exemplum & praxin Apostolorum ac Sacerdotum in primitiva Ecclesia. Si enim ostenderimus inde ab initio in Ecclesia omnium ordinum Clericos in conjugio vixisse, utiq; nulla lege Apostolica aut Ecclesiastica antiqua, cælibatum sacerdotio annexum esse, evicimus. De Petro, quod socrum habuerit constat ex Marc. 1. v. 30.* Ubi autem socrus ibi & uxor, ibi & conjugium *ait Chrysostomus homil. 4. de verbis Esaiæ. De eodem Petro testatur Paulus, quod uxorem circum duxerit 1. Cor. 9. v. 5.* Nunquid non habemus potestatem ἀδελφὴν γυναῖκα circumducendi, sicut reliqui Apostoli Domini & Ce-

& Cephas: *Uxores enim fuisse, quas circumduxerunt voce γυναικὸς denotatur: Usurpatur enim frequenter de uxore, ut Tobiæ 8. c. v. 19. Raguelis conjux γυνὴ vocatur, & Paulus, ut vidimus 1. Timoth. 3. v. 2. vult episcopum esse μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα; neq; in plurali de multis loquitur, quod omninò necessarium esset, si de sororibus in Ecclesia ministrantibus ipsi sermo esset, sed de una muliere, quam posset περιάγειν circumducere potestate ea, quam maritus habet in uxorem. Nam aliàs Apostoli non pro lubitu sorores seu fideles mulieres circumducere potuerunt.*

*XXIX. Et ad quid sodes vox γυναικὸς additur supra ἀδελφὴν? nunquid ignotum est, sororem esse mulierem? Nec est quod dicant, sororem idem esse, quod fidelem: Nullibi enim similis locutio occurrit; & si occurreret, tamen determinationem quandam voci mulieris superadderet, & proinde posteriori loco ponenda fuisset, γυναῖκα ἀδελφὴν ut dicitur ἄνδρες ἀδελφοί. Et quid dicemus de suspicione quam incurrissent Apostoli, si mulieres, quæ non fuissent uxores, circumduxissent, præsertim in tanto tum Judæorum tum Ethnicorum odio, quod ut declinarent, omnibus modis annisi sunt. Qua de causa & toties postea constitutum, arcendas mulieres non conjuges à commercio Presbyterorum. Concilium Nicenum can. 4. solas permittit, matrem, sororem, aviam, amitam, materteram habitare in domo Clerici; causamq; addit,* quia hæ solæ personæ omnem excedunt suspicionem. *Et Canon Trullensis. 5.* Nemo eorum qui accensentur ordini sacro, si seorsim vivat, à personis, quæ in Canone (*Niceno*) feruntur non suspectæ, habeat mulierem aut ancillas, seq; ipsum hac in re suspicioni non obnoxium faciat.

*XXX. Igitur negari non debet, quod hæ sorores fuerint legitimæ Apostolorum uxores, quas sine omni suspicione circumducere potuerint, etsi non tam ob consuetudinem conjugalem, quam ob ministerium eas comites habuerint, ut docet Clemens*

*Alexandrinus l. 3. Stromat.* Paulus quidem, *inquit*, certè non veretur in quadam sua epistola suam appellare conjugem, quam non circumferebat, quod non magno ei esset opus ministerio. Dicit itaque in quadam epistola: Non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli? Sed hi quidem ut erat consentaneum ministerio, quod divelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant: per quas etiam in Gynecæum absq; ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Domini.

*XXXI. Apparet igitur ex his, quod Apostoli complures, uxores habuerint, licet non omnes, nec qui fuerint, certò constet. In scripturis enim tantummodo Petrus & Philippus Act. 21. v. 9. expressè in maritis numerantur. Clemens Alexandrinus existimat Paulum conjugem suam compellare Phil. 4. v. 3. Sed id aliis non videtur. Ignatius, quoque Paulum maritis annumerat in epist. ad Philadelph.* Sicut Petrus, *inquit*, & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia conjuges habuerunt. *Ambrosius tamen in 2. Cor. 11. Paulum excipit & Johannem, reliquos omnes uxoribus copulatos fuisse dicit.* Omnes Apostoli, *inquit*, exceptis Johanne & Paulo uxores habuerunt. *Cur quæso Christus maritos uxoribus suis junctos ad Apostolatum vocavit, nec potius juvenes extra conjugium viventes elegit, qualis erat Johannes, cum plures tales habere potuisset, nisi ut ostenderet, sacrum officium & conjugium in eadem persona non pugnare?*

*XXXII. Quod vero post vocationem ad Apostolatum deseruerint uxores suas, non sine impietate dicitur: Nunquid contra*

*tra*

*tra institutionem conjugij fecissent, quam repetitam fuisse à Christo, probè sciebant Matth. 19. v. 6. vel etiam contra propria statuta? 1. Cor. 7. v. 10.* uxor à viro non discedat *v. 11.* vir uxorem non dimittat. *v. 5.* nolite abstinere ab invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus & convenite iterum, ne tentet vos Satanas. *Reliquisse quidem omnia dicuntur Apostoli propter Christum Matth. 19. v. 27. sed de bonis possessis non de uxoribus sermo est; imò reliquerunt omnia, non plus diligentes sua, quam Christum c. 10. v. 37. nec magis sua curantes, quam officium à Christo demandatum. Unde Petrus jam relictis omnibus, nihilominus tamen Christum ad convivium in domum suam vocat Matth. 9. v. 10. Sic & uxores retinuerunt, easque comites habuerunt, ut tamen, ubi necessitas & gloria Christi postulabat, magis officij, quam illarum rationem haberent. Eusebius l. 3. c. 27. de Clemente Alexandrino:* Dicit igitur, *inquit,* beatum Petrum, quum uxorem suam ad mortem duci cerneret, gavisum quidem fuisse vocationis gratia, & quod ad sua remearet, acclamâsse verò illi admodum, hortandi & consolandi gratia, ex nomine eam compellando ac dicendo: O memento Domini. Tale erat beatorum connubium & integer amicissimorum affectûs. *Hæc ille*

*XXXIII. Sub finem seculi I. Polycarpus Smyrnæorum Episcopus Johannis Evangelistæ auditor vixit, is facit mentionem Presbyteri cujusdam, qui uxorem habuerit, in Epistola, quæ ei tribuitur, ad Philippenses:* Nimis contristatus sum, *inquit,* pro Valente, qui Presbyter factus est aliquando apud vos, quod sic ignoratis locum qui datus est ei. *Et Paulo post:* Valdè ergò frates contristor pro illo & congjue ejus, quibus det Dominus pœnitentiam vestram.

*XXXIV. His subjicimus canones Apostolorum, minus genuinos licet & procul dubio autoris cujusdã, qui multò posteriori-*

 *bus*

*bus temporibus vixit, quia tamen ab adversariis contra nos citari solent & pro genuinis venditantur, inde hac vice & nostram sententiam confirmare possumus. Canon VI. sic habet:* Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam religionis obtextu abjiciat; si verò rejecerit, excommunicetur, sed si perseveraverit, dejiciatur. *In constitutionibus quoque, quas dicunt Apostolorum & à Clemente Romano collectas volunt, lib. 2. cap. 2. sic legimus:* Episcopus eligatur, si uxorem honestam habeat vel habuerit, si filios religiosè educatos & in disciplina Domini institutos produxerit.

*XXXV. Seculo II. Diaconum quendam uxorem habuisse testatur Jrænæus l. 1. c. 9,* Diaconus quidam, *inquit,* eorum qui sunt in Asia suscipiens eum (*Marcum hæreticum Valentinianum*) in domum suam, incidit in hujusmodi calamitatem: Nam cum esset uxor ejus speciosa, & sententia & corpore corrupta esset à mago isto & secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in Exomologesi consummavit. *Præcipitante eodem seculo Dionysius Corinthiorum Episcopus vixit, cujus supra mentionem injecimus. Hic scriptâ ad Gnosios Epistolâ Pinytum Paræciæ illius Episcopum hortatus est, ne castitatis onus fratribus imponeret, ut habet Eusebius. l. 4. c. 22. Ideò is vir sanctus tunc temporis restitit conatibus Pinyti, cum quosdam in sua Ecclesia ad cælibatum cogeret, idque eo prætextu,* quod non amplius lacteis sermonibus, sed solidiore cibo populis pascendus esset, *ut ibidem loquitur. Ex quibus adeo ipsius verbis evidens est, quod novi quid ante insvetum molitus fuerit.*

*XXXVI. Clemens Alexandrinus quoque, qui sub finem seculi hujus floruit, Alexandriæ Catecheseon Magister l.3. Stromat. conjugium in quibusvis personis egregiè defendit. Inter cætera*

*circa*

*circa finem istius libri sic loquitur:* Et ut in summa dicam, omnes Apostoli Epistolæ, quæ moderationem, docent & continentiam —— nusquam honestū modeceratumq; matrimonium prohibuerunt aut abrogarunt, sed legis cum Evangelio servantes convenientiā utrūq; admittunt, & eum, qui Deo agendo gratias, moderatè utitur matimonio, & eum, qui ut vult Dominus, vivit in castitate, quemadmodum vocatus est unusquisque inoffensè & perfectè eligens. *Et non multò post:* Jam verò unius quoque uxoris virum utique admittit, seu sit Presbyter seu Diaconus seu Laicus, utens matrimonio citra reprehensionem.

*XXXVII. Initio seculi. III. Tertullianus Carthaginensis Presbyter libros duos scripsit ad uxorem suam, quorum priori eam dehortatur à secundis nuptiis, si se contingeret priorem mori; altero, ut saltem non copuletur gentili. Novatus postea in eadem Ecclesia Presbyter fuit, de qua testatur Cyprianus ejusdem Ecclesiæ Episcopus, quod in conjugio vixerit. l. 1. epist. 8. ad Cornelium, ubi ejus scelera enumerans, inter cætera:* Uterus uxoris, *inquit*, calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius qui nascebatur, occisus est. *Idem l. 1. epist. 10. Numidicum Presbyterum laudat, qui uxorem* adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris lætus aspexerit, ipse semustulatus & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, â filia tamen refocillatus.

*XXXVIII. Eodem seculo, Decio Imperante, vixit Chæremon Nili Episcopus, de quo sic scribit Eusebius l. 6. c. 41.* Chæremon quidam erat admodum senex, civitatis

quæ Nilus vocatur Episcopus. Hic ad montana Arabiæ una cum conjuge sua fugiens, non est reversus, nec unquam videri potuerunt. *Describens persequutionem sub Diocletiano in fine seculi hujus l. 8. c. 9. de Philoremo Gubernatore Alexandriæ, & Philea Thmuitarum Episcopo sic ait:* Isti quamvis rogarentur ab innumeris cognatis & amicis denique & aliis in dignitate constitutis primoribus, præterea & ab ipso judice obsecrarentur, ut sui ipsorum misererentur, uxoribus & liberis parcerent, haudquaquam à tot ac tantis viris ad hoc induci potuerunt.

*XXXIX. Seculo IV. Concilium Nicenum Oecumenicum ex consilio Paphnutij conjugium personis Ecclesiasticis liberum reliquit. Qua de re sic scribit Socrates l. 1. c. 8.* Visum erat Episcopis legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati, sicut Episcopi, Presbyteri atque Diaconi, cum uxoribus, quas cum erant Laici in matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius, & vehementer vociferatus est, non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati, honorabile esse conjugium inter omnes, & torum immaculatum, videndum ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent.———— Itaque cum totus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conventus verbis Paphnutij assensisset, controversia de hac re exorta penitus sedata est, potestasque permissa cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi. *Idem testatur Sozomenus l. 1. c. 22. Cassiodorus in Tripartita l. 2. c. 14. & Gelasius Cyzicenus l. 2. Actorum Concilij Niceni c. 33.*

XL. Paph-

XL. *Paphnutius quidem uxorem non habuit, Spyridion tamen Trimithuntis in Cypro Episcopus, qui & ipse non postremas in Concilio partes tenuit, in conjugio vixit, de quo Sozom. l. 1. c. 11.* Erat, *inquit*, iste vir sanè rusticus qui tametsi uxorem habebat & liberos, non tamen propterea res divinas negligentius obiit. *Socrates l. 1. c. 8. filiam ipsius Jrenen appellatam scribit. Vixerunt Socrates & Sozomenus tempore Theodosii Junioris sub initium seculi. V. & historiam Eusebij continuârunt, quorum testimonio cum se constringi sentiant adversarij eorum fidem elevare conantur, mendacij eos impudenter insimulantes, scil. ubi nihil reliquum est patrocinii, vel optimorum historicorum, quorum autoritate ipsimet contra nos alioquin utuntur, fidem sublestam facere convenit.*

XLI. *Athanasius Alexandrinus Episcopus, quàm in eodem concilio dexteritatem suam probaverit, notum est. Sed & hic cum Paphnutio ejusdem fuit sententiæ, quod constat ex Epistola ejus ad Dracontium Monachum, cui ut Episcopatum susciperet, suasit:* Ne igitur, *inquit*, talia objiciant tui consiliarii: Novimus enim & Episcopos jejunantes & Monachos comedentes, multi quoq; ex Episcopis matrimonia non inierunt; Monachi contra parentes liberorum facti sunt, quemadmodum vicissim Episcopos filiorum patres, & Monachos generis potestatem non quæsivisse animadvertas.

XLII. *Paulo post Concilium Nicenum, habita est Synodus Gangrensis in Paphlagonia Minoris Asiæ, quæ Canon. 4. relato in jus Canonicum distinct. 28. c. si quis. sic decernit:* Si quis de Presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportere, eo sacra celebrante, oblationi communicare, sit anathema. *Causam convocati Concilij his verbis indicat Socrates l. 2. c. 33.* Eustathius porro in Concilio Gangrensi pro-

propter illum convocato, postea etiam condemnatus est, quod post abdicationem suam in Concilio Cæsareæ factam, præter ritus & consuetudines Ecclesiasticas multa tentasset: Nam nuptias fieri prohibuit, à cibis abstinendum docuit, benedictionem & communionem Presbyteri habentis uxorem, quam lege cum esset Laicus, duxisset, tanquam scelus declinandū præcepit, *quod & refert Nicephorus l. 9. c. 45.*

*XLIII. Eodem seculo Basilius M. Cæsariensis Episcopus patrem habuit Sacerdotem, de quo Gregorius Nazianzenus in vita Basilij:* Hic, *inquit*, Basilij Pater, Basilius item appellatus, etsi matrimonio se vinxit, ita tamen in eo vixit, ut nihil propterea ad perfectam virtutem ac philosophiam consequendam impediretur, & in statu conjugali vitam & ritum observavit Sacerdotalem. Ex quo tria hæc: castitas, matrimonium, sacerdotium, quæ diversa solent vitæ genera constituere, nequaquam in hoc pugnantia fuêre, aut virtuti ullo modo offecerunt. *Coætaneus Basilij Gregorius Nazianzenus fuit, qui de patre suo itidem sacerdote sic loquitur orat. 19. non procul ab initio num. 8.* Huic (*Gregorio Patri Nazianzenæ Ecclesiæ pastori*) mulier Dei beneficio concessa non modo adjutrix, sed & dux & antesignana fuit, nimirum eum vita & sermone ad optima quæq; per se ipsam ducens, ac cæteris quidem in rebus, ut matrimonij leges ferebant, viro suo parere optimum esse judicans, fidei autem & pietatis magistram se præbere haudquaquam erubescens.

*XLVI. Fratrem habuit Basilius M. Gregorium Nyssæ Episcopum, de quo Nicephorus l. 11. c. 19. in princ. sic scribit:* Habuit Basilius fratres, quorum unus Gregorius fuit Ec-

clesiæ

clesiæ Nyssenæ lux & ornamentum, vir secundum fratrem, doctrina moribus & vitæ sanctitate spectatus. Et quamvis is conjugem habuerit, rebus tamen aliis fratri minimè cessit. *De Paulino Nolano Episcopo ejusdem seculi idem testatur Ambrosius ejus σύχρονος Epist. 36.* Elegisse, *inquit*, secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans, ævum exigat. Matrona quoque virtuti & studio ejus proximè accedit, neque à proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum jura suis prædiis, virum sequitur, & exiguo illic conjugis contenta cespite, solabitur se religionis & charitatis divitiis.

*XLV. Testatur etiam Hieronymus suo tempore plurimos sacerdotes uxores habuisse l. 1. adversus Jovinianum:* Quasi non *inquit*, hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus Episcopum describat unius uxoris maritum, habentem filios cum omni castitate. *Quod clarius adhuc confirmat Synodus Carthaginensis. V. in fine seculi. IV. celebrata Canon. 3.* Præterea, *ait*, cum de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos, secundum propria statuta etiam ab uxoribus continere: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. *τοῖς ἰδίοις ὅροις Gratianus dist. 32. can. Placuit; & 84. can. cum de quorundam, male reddidit* priora statuta. *Balsamon rectius interpretatur*, omni tempore suæ vicis *scil. quando tractant sacra. Ideo tunc Clerici cum uxoribus suis cohabitârunt, secus abstinentia certis temporibus ipsis injungi non potuisset.*

*XLVI. Seculo V. Synesius ordinandus in Episcopum Cyrenensem, uxorem relinquere nolebat: qua de re sic loquitur apud Nicephorum l. 14. c. 55.* Mihi & Deus ipse & leges, ipsaque

que sacra Theophili manus uxorem dedit: Quapropter omnibus prædico testatumq; esse volo, me illam prorsus deserturum non esse, neque cum illa veluti mœchum clandestinam consuetudinem habiturum: Alterum enim minimè pium: alterum minimè legitimum est. Quin potius & volo & opto plures mihi & probos nasci liberos. *Eo tempore receptam in oriente consuetudinem fuisse, ut sacerdotes uxores haberent, testatur Socrates l. 5. c. 21. cujus verba jam supra ex parte citavimus th. 6.* Non pauci illorum, *inquit*, dum Episcopatum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant.

*XLVII. Prosper Aquitanus Rhegiensis in Gallia Episcopus Augustini discipulus de se ipso testatur, quod uxorem habuerit, Epigrammate ultimo ad uxorem:* Age jam, *inquit*, precor mearum comes irremota rerum, trepidam brevemque vitam Domino Deo dicemus. Tu modo fida comes mecum isti accingere pugnæ. Quàm Deus infirmo præbuit auxilium. Ut caro non eadem tantum, sed mens quoque nobis una sit, atque duos Spiritus unus alat. *Sub finem seculi hujus Isidorus Pelusiota Hieracem Presbyterum uxori fuisse junctum, his testatur verbis l. 2. Epist. 53.* Audivi à quodam veritatis amante viro historiam commemoratu dignam & memoria, quam uxori tuæ narrari operæ pretium censui.

*XLVIII. Ex seculo VI. Testimonium Gregori Magni jam supra citavimus. Vixit quoq; tunc temporis Martinus Dumiensis Monasterij Abbas ac deinde Ecclesiæ Bracarensis Episcopus, qui ex Græcis Synodis Canones collegit extantes Tom. 2. Concil. inter quos canon 28. sic habet:* Si alicujus Laici uxor in adulterio fuerit deprehensa, tunc talis ad ministeriũ Ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post

ordi-

ordinationem alicujus Clerici uxor adultera fuerit, dimittat eam: Si autem cum ipsa voluerit permanere, à ministerio alienus sit.

*XLIX. Seculo VII. Concilium Toletanum. IV. sub Honorio I. in Canone 43. Dist.81.c. Quidam; sic statuit:* Quidam Clerici legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum, vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt. Ideoque quæcunque Clericis taliter adjunctæ sunt, ab Episcopo auferantur, & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos sua libidine infecerunt. *Et canone 44. causa 23. q. 8. c. Clerici:* Clerici, qui sine consultu Episcopi sui aut viduam vel repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, separari eos à proprio Episcopo oportebit.

*L. Ex eodem seculo habemus Canonem XIII. memorabilem Synodi Quinisextæ seu Trullanæ, consuetudini Romanæ Ecclesiæ, quæ jam invalescebat apertè oppositum, Tom.3. Concil. quem & Gratianus citat Dist.31.* Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut Diaconi vel Presbyteri, qui digni, qui ordinentur, existimandi sunt, profiteantur, se non amplius suis uxoribus conjungendos, nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum, qui sunt in sacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradū nequaquā assumi prohibeatur,

si cum

si cum legitima uxore cohabitet. —— Si quis ergò præter Apostolicos Canones incitatus sit aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima uxore privare, deponatur. Similiter siquis Presbyter vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur; & si perseveret, deponatur.

*LI. Ex hoc tempore postquam Canon hic fuit promulgatus, Græcorum sacerdotes uxores habuisse more apud illos etiamnum usitato, concedit ipse Bellarminus l. 1. de Clericis c. 19. Sed nos istis uberius recensendis supersedemus, quandoquidem ex his constare abundè potest, quæ fuerint antiqua statuta Ecclesiastica. Is qui in Sacerdotem eligebatur & jam uxorem habebat, nequaquam eam relinquere poterat, qui non habebat; nec professus fuerat continentiam, ei liberè matrimonium inire vel non inire concessum erat: Si quam difficultatem nonnullis movit conjugium Sacerdotum, ratione professionis vel voti movit. Per se conjugium cum sacerdotio nullatenus pugnare, tot Canones, tot in oriente pariter & occidente exempla probant; &, quod inprimis notabile est, nihil quicquam remoræ injecisse viris sanctis conjugium in operibus officii, satis perspicuè docent. Facessat igitur calumnia, quâ sanctum sanctorum conjugium onerare adversarii non erubescunt, desistant conscientiis laqueum injicere, & quod Deus, Apostoli, & Ecclesia purior cuiq; liberum reliquerunt, ipsi statutis humanis coarctare aut conspurcare ne moliantur.*